



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Anselmus Ep. 21. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

stratum, eoque loco fons medicâ salubritate præditus erupit. Et quemadmodum sæpè divinos genios vivens habebat hospites, ita moriens eosdem adepta comites, in cælum evolavit, anno salutis M.CCC.XVII. mortem multi infantes è suis cunis, quâ sermone, quâ cantu celebrarunt. Corpus putredine taboque intactum virtutum ac præcipuè castimonix luculentam præbuit testificationem. *Ex Bullâ Canonizat.*

Vt sancta anima Christi caractere utrobique signetur, eum in corde suo signaculum ponat, ut amoris ejus facibus medullitus inardescat; ponat etiam in brachio, ut piis operibus valenter insistat. S. Pet. Damian. l. 7. ep. 9.

S. ANSELMUS EP. 21. Aprilis.

FAcilè mundum despicit, quisquis æquis oculis aspicit. Testis luculentus ANSELMVS est. Vidit hic (nebulam ab oculis Deo removente) quem nos mundum dicimus, immundam, quâ patet, paludem esse, cœni omnis ac sordium colluviem: in hâc volutari miseros homunculos; hinc delicias suas haurire delicatulos, hinc gemmas quærere avaros, hinc triumphare ambitiosos. Miratus ANSELMVS posse tam sordidâ lacunâ pisces gaudere tam nobiles, oculum ad religiosorû septa transtulit, & ædes sibi videre visus est regio opere structas, & omnibus delitiis affluentes. Has itaque ingressus, ex Monacho Cœnobiarcha, ex Cœnobiarcha Pontifex Cantuariæ mortuus memoratur, anno M.C.IX. vir qui è minimis quibusque rebus maxima dare documenta scivit. Nam, ut alia silentio prætermittam, cum lepuseulum sub equum suum fugientem à canibus undique

cingi

cingi conspexisset, eam morientis conditionem esse exclamavit ab atris geniis obsessi. Jam puerum conspicatus cum aviculâ lusitanti filo alligatâ, peccantis hominis typum esse dixit, qui libertate suâ spoliatus, ad arbitrium Stygii aucupis viveret. Itaque qui jam nos circumspicimus, si ANSELMO credimus, mali dæmonis ludus, lepufculi, & aviculæ captivæ sumus. Nec tamen stulti lepores fugimus, nec aviculæ filum rumpimus: quin quod omnem stultitiam exsuperat, cantitare etiam in tantis miseriis juvat. *Ex Edinero.*

Cum semel anima adhaerit cupiditatibus demersa terrenis, difficilè in altum potest, unde descendit, sine Dei favore, evolare. Actuum enim suorum vincula laqueis, & secularium deliciarum illecebris obnoxia tenentur. Ambros. in c. 4. Lucæ.

S. THEODORUS C. 22. Aprilis.

THEODORVM sexennem mater ad omnem licentiam informabat, cum S. Georgius, ne filium Cæli Imperatori autoratum vitæ corruptelis effeminaret, præsens admonuit, pueri deinceps in sanctitate magister. Eunti ad Ædem sacram dux adfuit viam præstigiis Orci præceptam & impeditam aperiens; matri quoque, si à pietate filium avocaret, stricto mucrone exitium minatus. Prope interitum THEODORVS erat, quando decantatus ille Proteus, assumptâ contubernalis formâ, incautum in præcipitium intulit præfultor ipsius factus, eumque exemplo tracturus, nisi custodis cura prævaluisset. In templo Christum cum Virgine matre præsentem aspexit, à quo ad sanctiorem militiam invitatus, illico stipendia facere cœpit. Gigantem credidisses vim cælo illaturum, si